

rando in carne seu cum carne simul sanguinem voraciter
abliguriunt, & ita vindictam DEI incurrunt, ita homo te-
nendo bestialis truculentiae animum in concessio animan-
tium esu arcessere sibi gravissimam DEI iram dicitur. Sic
sanguinis esum Noachidis prorsus vetitum fuisse neuti-
quam colligitur, a vetito enim esu bestiali ad prohibitum
omnem esum sanguinis non poterit colligi. Et fuisse in
illius sententia explicationis multos Ebraeorum e Rabbino-
rum scriptis erudite tradit Doctissimus *Seldenus*. Cœte-
rum sunt alii Rabbiorum æque ac Christianorum Inter-
pretes excellentissimi, qui Sanguinis esum (qualis Israëlitis
e lege illicitus erat, exceptus enim præ primis creditur pu-
rorum piscium sanguis (Noachidis non solum sed & gen-
tibus vetitum asserere non dubitant. Superfluum duci-
mus, eos allegare. Id pretium operæ est dispicere, an ex
concesso tali interdicto sequatur negativa propositæ quæ-
stionis, Christianos scilicet sanguinem in ciborum usu non
posse adhibere. Expedio autem primo, interdictum Noæ
datum Ecclesiasticum involvere respectum & sacrificiorum
intueri arcanum, quod expressis verbis DEUS Mosis evol-
vit. Levit. XVII, II. *Non comedetis sanguinem, quia anima
carnis est in sanguine, & dedi illum vobis, ut super altare expietis
pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit; Quæ au-
tem ratio sacrificiorum Leviticorum fuit in fundamento
sacrificiali expiatorio, eadem etiam fuit sacrificiorum Pa-
triarchalium ante Legem Levitarum, utpote non electio
cultu sed inspirato Divino jussu a Patriarchis institutorum.
Si igitur causa abstinendi a sanguine inter Judæos fuit ex-
piatio animarum per sanguinem sacrificii, ergo eadem cau-
sa fuit inter Patriarchas, quorum origo in familia Noachi,
Novi alias causas ab interpretibus assignari, quæ in com-
pendio possunt videri apud *Cornelium a Lapide* commenta-
rio in locum, quem tractamus, quas inter & hæc ceu pecu-
liaris allegatur, quod sanguis sit animæ vehiculum, seu quod ani-
ma carnis in sanguine sit; sed quæ ab hominibus recensentur
saltim cum illa, quam DEUS ipse tradidit, non sunt*

De J. N. &
G. I. 7. c. 1.

com-